

DIE QUARTO DECIMO MENSIS NOVEMBRIS
ANNO BIS MILLESIMO SEPTIMO
AETATIS AUTEM SUAE OCTOGESIMO SEXTO
OBIIT VARSOVIAE

MARIA CYTOWSKA

UNIVERSITATIS VARSOVIENSIS PROFESSOR EMERITUS

QUAE ALMAE MATRIS VARSOVIENSIS ALUMNA
IN EADEM UNIVERSITATE TOT PER ANNOS STUDIIS
LITTERARUM GRAECARUM, LATINARUM AC PRAECIPUE
NEOLATINARUM OPERATA LAUDEM INGENIO
ET DOCTRINA, HUMANITATE QUOQUE
BENEVOLENTIAQUE SINGULAREM MERUIT

QUAE DESIDERII ERASMI ROTTERODAMI INVESTIGATRIX
SAGACISSIMA ET AD LIBROS EIUS CRITICE EDENDOS
MIRUM QUANTUM CONTULIT CIRCULI AMSTELODAMENSIS
OPERA ERASMIANA EDENTIUM CONSORS ET MULTIS
DISPUTATIONIBUS VITAM EIUSDEM SCRIPTAQUE
INSIGNITER ILLUSTRAVIT

QUAE COMPLURIUM VOLUMINUM ENCHIRIDII
CONSCRIBENDI QUO OMNIS ANTIQUORUM ROMANORUM
HISTORIA LITTERARIA PRAECLARE EXPLICATUR
PARS MAGNA FUIT

QUAE OB EGREGIA CUM IN LITTERAS CLASSICAS
NEOLATINASQUE TUM IN SOCIETATEM NOSTRAM CUIUS
REBUS AC RATIONIBUS DUODECIM PER LUSTRA
IMPIGERRIME INSERVIVIT MERITA
SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM
PRAESES HONORIS CAUSA EST FACTA